

# BOLETÍN DEL CLERO

DEL

## OBISPADO DE LEÓN

Declaración de la Sagrada Congregación del Santo Oficio, sobre la absolución de los adictos á las sectas masónicas.

Beatissime Pater: Episcopus N. N., ad pedes S. V. pro-  
volutus humiliter exponit, non raro illos, qui momen massoni-  
cae sectae dederunt, Confessores adire ut absolutionem reci-  
pian. Subscriptus autem humiliter postulat, an vi facultatum,  
quae in solita pagella a Sacra Poenitentiaria conceduntur, pos-  
sint necne absolvere massonicae sectae sive occulte sive palam  
addictos; et, cum in dicta pagella praescribatur *ut ejurent*, an  
ab omnibus exposulare debeant formalem et notoriam ejuratio-  
nem in Curia servandam. Et Deus, etc.

*Her. IV, die 3 Augusti 1898.*

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita  
ab EE. mis ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum In-  
quisitoribus Generalibus, propositis suprascriptis dubiis, praeba-  
bitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres  
rescribendum mandarunt:

«Episcopus utatur facultatibus quae Ordinariis a Sancta Poe-  
nitentiaria concedi solent, quarum vi et ipse et alii ab ipso dele-  
gati Confessarii absolvere possunt eos qui sectis vetitis nomen de-  
derunt, sive notorii sint, sive non, dummodo a respectiva secta  
onmino se separent, eamque saltem coram Confessario ejurent,  
seu detestentur, reparato scandalo eo meliori modo quo fieri po-



test, et aliis injunctis de jure injungendis, justa praefatas litteras, S. Poenitentiariae.»

Feria vero VI, die 5 ejusdem mensis Augusti, in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus SSmo. D. N. Leoni PP. XIII relatione, SSmus. resolutionem EEmorum. Patrum adprobabit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. *Inquis. Not.*

---

### Otra de la Sagrada Congregación de Indulgentias, sobre las que pueden conceder los Prelados.

---

MONTIS POLITIANI.—26 *Maji* 1898.—Episcopus Montis Politiani huic Sacrae Cong. in Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia enodanda proposuit.

I. Ad Indulgentiae, quas Episcopus concedit, valeant intra limites suae Dioeceseos tantum, an vero etiam extra?

II. An acquiri possint intra limites Dioecesis etiam a fidelibus, qui non sunt subditi Episcopi concedentis Indulgentias?

III. An subditi Episcopi concedentis Indulgentias has lucrari valeant etiam dum extra Dioecesim commorantur?

Et Emi. Patres in Vaticano Palatio coadunati relatis dubiis responderunt, die 5 *Maji* 1898:

Ad I. Affirmative ad 1<sup>am</sup> partem; negative ad 2<sup>am</sup>, nisi agatur de subditis Episcopi concedentis et de indulgentiis personalibus.

Ad II. Affirmative, dummodo Indulgentiae non sint concessae alicui peculiari coetui personarum.

Ad III. Provisum in I.

De quibus facta relatione SSmo. D. N. Leoni PP. XIII, in audientia habita die 26 *Maji* 1898 ab infrascripto Cardinali Praefecto, eadem Sanctitas Sua Emorum. Patrum resolutiones benigne approbabit.

Datum Romae ex Secria. ejusdem S. C. die 26 *Maji* 1898.—FR. HIERONYBUS M.<sup>a</sup> CARD. GOTTI, *Praef.*—† ANT. ARCH. ANTONOEN, *Secretarius.*

---



## DECRETUM S. C. CONCILII

### DE CLERICORUM EXCARDINATIONE ET ORDINATIONE

---

A primis Ecclesiae saeculis plura Sacra Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum *cap. 8, sess. 23 de reform.*, neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari.

Proprius autem alicuius Episcopus, iuxta ea quae praefixit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret. *cap. Cum nullus, De tempore Ordin*, «intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.» Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcopi familiares suos, etsi alienae dioecesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina synodus *cap. 9, sess. 23 de reform.* id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus ius fiebat Episcopis aliquem ad ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de huiusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII. app. litt. incipientibus «*Speculatores*» datis die 4.<sup>a</sup> nov. 1694, determinavit ac constituit quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, et quis proprius fieret alicuius Episcopi subditus, quo legitime ordinari valeret. Quae constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quaestiones diremptae.

Verum nostris temporibus novae contentioni frequens se praebuit occasio Pluribus enim in locis usu receptum est, ut clerici, qui e sua dioecesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem, quam vocant, id est plenam et perpetuam dimisionem á suo Ordinario peterent; eaque innixi in alia dioecesi incardinationem seu adscriptionem im-



plorarent: qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ulteriores ordines suscipiendos admitterentur. Quae agendi aatio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed non in illis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam saepenumero patefecit.

Quapropter Emi. S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, praesenti generali decreto haec statuenda censuerunt:

1.º excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaue sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executione demandata.

2.º incardinationem faciendam esse ab Episcopo non cretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio «*Speculatores*» pro domicilio acquirendo praescribit.

3.º ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alium clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimisum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4.º hac ratione adscriptos posse qui lem ad ordines promoveri. Cum tamen nemine sint cito manus imponendae, officii sui novarint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut «nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis» ut in *cap. 16, sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.




5.º quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6.º denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uii nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. «*Speculatores*» quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmatae semper manere debent.

Facta autem de is omnibus relatione Smo. Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii die 20 Iulii 1898.—  
A. Card. DI PIETRO, *S. C. Concilii Praefectus*.—† BENIAMINUS ARCH. NAZIANZENSIS, *Pro Secretarius*.



## COLLATIONES MORALES PRO MENSE DECEMBRIS

---

### 1.<sup>a</sup>

Ubinam recensentur excommunicationes latae sententiae nunc vigentes. An praeter eas quae in Const. «*Apostolicae Sedis*» inveniuntur, aliae existant. Quot sint excommunicationes R. Pontifici *speciali modo* reservatae. Earum expositio quae in laudata Const. sub num. 1. 2. 3 et 4 continentur.

### *Casus.*

Flavianus eruditus homo Archeologicis et Bibliographicis studiis valde deditus, cum exterarum regiones peragraret, protestantium templa visitare eorumque conciones audire non erubuit; insuper nomen apposuit libro qui sectam profitentium no-



mina continebat quin tamen ex hoc protestantium doctrinam profiteri vellet: praeterea *codicem* invenit Arii et Photini haeses propugnantem, quem magna pecunia comparatum scienter legit et retinet. In patriam reversus, haec amico Sacerdoti narrat a quo audit eum duplici excommunicatione speciali modo Papae reservata innodari: tam gravi perterritus poena, sapientiorum consilium exquirat viam, si qua est, fugiendi censuras invenire desiderans. ¿Quid respondendum?

### *Quaestio liturgica.*

¿Quoam tenentur ad commemorationem Patroni vel Titularis Ecclesiae diebus quibus fiunt commemorationes communes?

#### 2.<sup>a</sup>

Quoam in Const. «Apostolicae Sedis» subjacere dicuntur excommunicationi *speciali modo* P. reservatae, a num. V usque a XII inclusive. Quoam eidem excommunicationi subjaceant ex Constitutione «Romanus Pontifex.»

### *Casus.*

Ciprianus neo Sacerdos Tiburtii confessionem excipiens audit eum inhonestos sermones et tactus cum socio habuisse: tunc recordatus Ciprianus se cum Tiburtio ante ordinationem ita peccasse, suspicatur illud peccatum complicitatis esse; sed nunc angustiae; non audet interrogare quisnam complex fuerit tum ob verecundiam inde exorituram si, quod timet, eum fuisse affirmet, tum quia sub excommunicationis poena nomen complicitatis exquirere prohibitum est: non audet absolvere quia eadem mulctantur poena «absolventes complicem;» ut utramque fugiat censuram absolvere fingit quamdam orationem recitando; sed dum illam recitaret; ¡felix, ait, idea!: peccatum meum jam deletum est ideoque non adest complicitas, quare, mutata sententia, Tiburtium jam discessurum iis tantum absol-



vit verbis: «Ego te absolvo a peccatis tuis.» An et quare Cyprianus peccaverit et excommunicationem incurrerit. Quomodo se gerere debuisset.

*Quaestio liturgica.*

¿Quibus diebus dicendum, quibus omittendum est Invitorium in officio defunctorum?

3.<sup>a</sup>

Quot et quae sint excommunicationes R. Pontifici simpliciter reservatae. Singularum explicatio.

*Casus.*

Livinus, cum puer decem esset annorum, Theophorum jam in sacris ordinibus constitutum conspuit, lapidavit et luto aliisque sordibus conspurcavit. De hoc cum Gregorium Livini fratrem Theophorus certiore faceret, pluribus est affectus conviciis qua de causa ait: veni mecum ubi nemo nos videat et ostendam tibi quid sub hac cotta absconditum sit: annuit Gregorius et dum irent gladios ad pugnandum emerunt et obvium medicum rogarunt ut comittatum ad locum praestaret si forte medicina opus esset: Titus Sacerdos qui rem fortuito noverat in eundem se contulit locum, tum ut videret finem, tum ut forte aliquem spiritualibus auxiliis adjuvare posset; at ubi primum pugna coepta est, pugnantes ad reconciliationem est adhortatus et statim pax inita. An et qua de causa, Livinus, Theophorus, Gregorius, Medicus et Sacerdos Titus excommunicationem incurrerint.

*Quaestio liturgica.*

¿Quando et quomodo recitari aut cantari potest officium defunctorum?



Quinam excommunicationi Episcopis reservatae subjaceant. Enumeratio et explicatio excommunicationum quae nemini reservantur?

*Casus.*

Genebrardus Subdiaconatus ordine jam insignitus quia voti dispensatio ei negata fuerat, civile matrimonium contraxit cum Sabina quacum canonicum matrimonium celebrare paratus erat si dispensatio concessa fuisset; at post duos menses a matrimonii celebratione, Genebrardus vita decessit et paulo post Sabina gravidam se sentiens, magna et continua est affecta tristitia: consolationis causa accedit Lucretia quae Sabinae hortata est ad abortum procurandum antequam praegnantio publica evaderet indicans etiam quaedam media ad id obtinendum; consilio paruit Sabina et eventus confirmavit adhibita media efficacia fuisse. At et qua excommunicatione, Genebrardus, Sabina et Lucretia ligati fuerint.

*Quaestio liturgica.*

¿Quando in officio defunctorum duplicantur antiphonae, et dicuntur Psalmi *Lauda* et *De profundis*?